

quasi pro rostris rhetorice etiam affantur. Quorum duorum, quoniam a Patribus recepimus, unus inquit:

Quid tibi fecimus tale, ut nobis facias male?
Appellamus regem, quia nostram fecimus legem.

At alter versificator inquit:

Non nobis pia spes fuerat, cum sis novus hospes,
Ut vetus in peius transvertere tute velis ius.

At ille cum studiis loco S. Galli semper inolitus iocundaretur suis temporibus adhuc solide stantibus, omnes, ita ut erant in lineis, exurgens amplexatus et osculatus, Induite, inquit enim vero si vixero, ait, me redimam, et talem indolem remunerabo. Sic ibi.

Ceterum quia nonnullorum didascalorum conniventia an socordia dicam, adeoque plerisque in Scholis Virgae viluerunt, ut quosdam quasi pudeat sceptrum regni sui manibus vibrare, pueros vero vel solum earum nomen percellat: bonum factum, si quis in pristinum solium silvae dominam reponat, ac una adolescentulorum delira somnia conficiat.

Immerito
virgae vilu-
erunt.

Ad lectorem. Quae in MS. sequitur: „Declamatio. In laudem virgarum est ad Betullum Caesium et Virginium Vibicianum, studiosae juventutis in Cluniacensi Gymnasio Tribunos vapulares Sociosque conscriptos“ omittendam putavimus, hinc Dixi. Finis.

Das Wilheringer Formelbuch » De kartis visitacionum.«

Herausgegeben von Dr. Otto Grillnberger, Ord. Cist. in Wilhering.
(Fortsetzung zu Heft III. 1898, S. 418—425.)

B.

1.

1350(?). . . (Engelszell.) — *Abt Wernhard von Wilhering urkundet über die von ihm vorgenommene Visitation des Stiftes Engelszell.*

[F. 9]

Karta visitacionis prima.

Nos frater *Wernhardus* dictus abbas in *Wilhering* anno domini MCCCL tali die vel in dominica tali post festum corporis Christi, sancte trinitatis abbaciam *Cellam Angelorum*¹⁾ filiam nostram visitantes subscripta volumus ibidem ab omnibus observari.

¹⁾ Engelszell in Oberösterreich.

In primis. Quoniam omnis Christi accio nostra est instruccio, quia, ut scribitur in Actibus, *cepit Iesus facere et docere exemplum et formam vivendi nobis tradens*, propter hoc prioribus huius domus in remissionem suorum peccaminum committimus studiose, quatenus sic sint solliciti circa correccionem aliorum exemplaribus exhortacionibus subditos informando ad leccionis frequentiam et divini officii execucionem nec non et discipline regularis observacionem et maxime ad¹⁾ silencium, quod, proh dolor, in abusum versum est et corruptelam, premendo et eos, qui in hiis excedunt, ut nostram gravem correpcionem evadere possint, divinam mercedem nichilominus expectantes.

Et quia nostra operacio non meritoria, nisi karitatis igne inflammetur,²⁾ volumus, ut quicumque de cetero in capitulo vel extra domo abbati vel priori vel eciam presidentibus se opposuerint, terga rebellionis eis verterint, excessus suos procaciter defenderint vel alias exorbitaverint quoquo³⁾ modo pro prima et secunda transgressione disciplina a presidente capitulo recepta per triduum sustineant levem culpam, pro tertia vero vice ad portam mittantur *Hylariensem* et ibidem secundum demerita mercedem recepturi.

Item quia secundum monita sanctissimi legislatoris nostri Benedicti nichil operi dei preponatur, mandamus⁴⁾ precise volentes, quod officiales huius domus officio divino, maxime misse, que cantatur, plus solito interesse studeant obmissis evagacionibus vel exitibus de choro preter eos, qui a domo abbate vel priore excusati fuerint, interdum pretextu ocupacionis exterioris, quod talis querela de cetero conquiescat.

Item alienaciones, vendiciones vel distracciones possessionum, contractus debitorum, recepciones personarum ad habitum vel victum absque nostra licencia speciali finaliter inhibemus salvis statutis papalibus, quibus parere necessario nos oportebit.

Hec autem karta ante nostram futuram visitacionem alternis mensibus et in capitulo perlegatur, ne quisquam ad sui excusacionem ignoranciam valeat⁵⁾ allegare.

2.

1350(?). 14. Jänner. (Hohenfurt.) — Abt H(ermann) von Wilhering visitiert das Kloster Hohenfurt und hinterlässt die charta visitationis.

[F. 9']

Secunda.

Anno domini MCCCCL in crastino octave apparicionis nos frater H(ermannus) dictus abbas in Wilhering abbaciam in Alto

¹⁾ ut.

²⁾ inflammentur.

³⁾ quoque.

⁴⁾ mandantes.

⁵⁾ valeant.

Vado filiam¹ nostram personaliter visitantes pro reformatione discipline ibidem custodiri volumus subnotata.

In primis. Quoniam sancte religionis spectaculum celesti se pulchritudini configurans tanto se in subditorum moribus clarius resplendescit, quanto per maiorum pia studia et vitam exemplarem cuiuslibet indecencie ruga¹⁾ vel macula submovetur, prioribus igitur huius domus duximus committendum, quatenus alios ad divini officii frequentacionem et discipline regularis observationem sic salutaribus correpcionibus adhortentur, ut ex hoc divine mercedis premium consequantur, adicientes, quod eos, qui tempore divini officii et maxime sub missis conventualibus de choro absque certa necessitate exierint, pena convenienti studeant castigare. Et ut iuvenes ad frequentiam leccionis et affirmacionem textus et cantus verbis ac verberibus arceant, ipsis committimus seriose annectentes nichilominus, quod prior aut subprior in ipsius absentia singulis noctibus, dum signum ante vigiliis consueta pulsatum fuerit, cum lumine singulorum lecta in dormitorio circumeat et perlustret, ut dormientes excitentur, et si quilibet ordinate se teneat, possit sciri. Et quia religiosi, qui divino se servicio totaliter manciparunt, expedit sacrosanctum dominici corporis sacramentum, quod est contra demonis impulsu speciale munimen, crebrius conficere et offerre, precipimus firmiter statuendo, quod quicumque sacerdotum huius monasterii, dum in conventu fuerit et sanus corpore nec aliquod obstet evidens impedimentum, se taliter a missarum celebratione subtraxerit,²⁾ quod per continuum triduum notatus fuerit abstinere, sequenti die absque dispensacione pane et aqua in refectorio solummodo sit contentus. Cum hoc quondam³⁾ malam consuetudinem, que potius corruptela dici poterit, extirpare volentes prioribus ac⁴⁾ circatoribus sub attestacione divini examinis committimus, ut quoscumque compererint regulare silentium temerarie violare in ambitu simul deambulantes vel alias suspectas staciones aut conventicula facere in proximo capitulo proclamare studeant. Pena talibus in diffinicionibus⁵⁾ inflictis irremissibiliter percellantur. Eredientes quoque, qui eadem die non sunt reversuri, absque benediccione nullatenus egredi audeant vel presumant. Quicumque contrarium fecerint et post reditu iterum benediccionem non acceperint pro qualibet vice in capitulo recipiant disciplinam.

Inhibemus eciam auctoritate paterna, ne annua pensio vel possessio ven[F. 10]datur, ne persona ad victum vel habitum recipiatur, ne debita et maxime ad usuras contrahantur nisi de nostra

1) *rugam.*

2) *subtraxerint.*

3) *quondam.*

4) Nach ac *car* durchstrichen.

5) Nach diffinicionibus ein Wort durchstrichen (*conten.?*).

speciali licencia et assensu. Hanc autem kartam volumus ante futuram visitacionem quater in capitulo legi, ne quisquam de ignorancia se excuset.

3.

1350(?)... (Hohenfurt.) *Visitationsrecess, betreffend das Stift Hohenfurt, ausgestellt vom Wilheringer Abte W(ernhard).*

Tercia.

Nos frater *W(ernhardus)* dictus abbas in *Wilhering* anno domini MCCCL in *die tali* abbaciam in *Al(to) Va(do)* filiam nostram visitantes subnotata volumus a personis eiusdem domus inviolabiliter observari.

Et primo. Quoniam sicut corpora inferiora per superiorum influenciam et derivacionem sue impressionis gratiam recipiunt et virtutem, sic in ecclesia militante religio monastica ex superiorum exemplari vita operacionis meritorie suscipit incrementum, eapropter prioribus huius domus precipimus et mandamus, quatenus sic regulares observancias, disciplinam et unionem fraternam studio foveant diligenti, ut ex hoc retribucionis divine premium consequantur, adicientes, quod violatores silencii, pacis turbatores vel eos, qui notati fuerint post completorium in choro decantatum sessiones facere in infirmitorio vel potacionibus vacare ex mala consuetudine, que potius dicitur corruptela, dum de certa sciencia constare poterit, pro prima vice cum penitencia panis et aque unius diei disciplina puniant corporali, pro secunda vero et tertia vice, si [se] emendare noluerint, penam levis culpe per triduum eis infligere non obmittant, ut pena docente non solum¹⁾ illos, sed et alios terror penalis ab huiusmodi retrahat et compescat.

Insuper presidentibus cottidiano capitulo iniungimus seriose, quatenus iuvenes ad chori frequentiam, affirmacionem cantus aliaque pietatis exercicia suis exhortacionibus secundum qualitatem personarum adhortentur et inducant, prout honori eorum congruit et saluti.

Item quia nil valet ramus boni operis, nisi in radice manserit karitatis, extra quam opera meritoria esse non possunt, precise volumus et mandamus, ut quicumque domino abbati vel priori in capitulo vel extra verbis rixosis se opposuerint, personis huius domus apud seculares detraxerint vel notabiliter egerint que occasionem scandali suis fratribus poterunt ministrare sic per dominum abbatem de consilio seniorum puniantur, quod ista sancta congregacio in pacis unitate consistens reddat deo pensum solite servitutis.

Preterea mandatum nostrum anno transacto hic relictum de hiis, qui fuerint in infirmitorio, quod vigiliis et horas in cappella

¹⁾ Nach solum eos durchstrichen.

persolvant infirmorum, sic duximus renovandum, quod negligentes per priores cum subtraccione [F. 10⁷] una die vini sic castigentur, quod emendacio subsequatur, salva licencia domini abbatis, si de necessitate cum aliquo super huiusmodi duxerit dispensandum.

Et quia iuxta propheticum dictum peccata hominum elemosinis redimuntur, portario, qui pro tempore fuerit, committimus studio maiori quo valemus, ut circa distribucionem [eorum], que de refectorio ad portam exportantur in pane et pulmentis, sic intendat pauperibus erogare ad alios usus non distrahendo, ut ipse apud districtum iudicem misericordiam consequatur.

Inhibemus auctoritate paterna, ne annua pensio vel possessio vendatur, ne persona ad victum vel habitum recipiatur, ne debita, maxime ad usuras, contrahantur absque nostra licencia speciali.

Hanc autem kartam quater ante futuram nostram visitacionem in capitulo legi volumus, ne quisquam ad excusandas excusaciones in peccatis ignoranciam valeat allegare.

4.

1350(?). 3. August. (*Engelszell.*) — *Abt H(ermann) von Wilhering* visitiert das Kloster *Engelszell* und hinterlässt die charta visitationis.

Quarta.

Anno domini MCCCL in invencione sancti Stephani prothomartiris nos frater *H(ermannus)* dictus abbas in *Wilhering* abbaciam in *Cella Angelorum* filiam nostram secundum formam ordinis visitantes ibidem personas domus astringimus ad inviolabilem observanciam submissorum.

In primis. Cum monastica observancia discipline regularis maxime in priorum sollerti circumspeccione ac diligenti providencia dependeat et subsistat, prioribus huius domus et aliis, quorum interest, relinquimus firmiter in mandatis, ut iuniores fratres ad maiorem reverenciam, timorem et obedienciam superiorum suorum nec non ad frequentacionem chori, leccionis et laboris ac reformacionem monastice discipline monitis, exhortacionibus, correpcionibus provocent et inducant, prout viderint cuilibet actu expedire, adicientes, quod omnes monachos, qui tempore divini officii, videlicet publice misse, ad chorum se non presentaverint, absque dispensacione puniant cum ablacione porcionis sue¹⁾ vini, nisi legitimam habuerint excusacionem sive dominus abbas aliquem seu aliquos fecerit remanere.

Et quia ex iuncto nostri regiminis officio ad hoc nostram diligentiam apponere debemus, per quod antique consuetudines minime infirmantur, sed magis solidentur, statuimus et precise volentes mandamus, ne de cetero mulieres, que foris in porta sive

¹⁾ porcione suo

in curia commode locari poterunt, ad infirmitorium causa pernociationis ingredi aliquid permittantur, nisi tam honeste matrone¹⁾ advenerint, quibus causa alterius hospitalitatis sive ex alia necessitate non poterit denegari.

Cum hoc nichilominus statutum nostrum anno preterito hic relictum serius renovando de hiis, qui ex mala consuetudine terminos ambitus sine licencia temerarie exierint et alicui layco absque [F. 11] priore sive conventum tenente colloqui presumpserint, dum III vel VI vel etiam plures monachi convenerint tamquam eloqui susceptorem inter se statuendo, ut per presidentem proximo capitulo cum pena diffinicionum fractoribus silencii²⁾ deputata irremissibiliter puniantur.

Item quia sanctissimus pater noster Benedictus papa duodecimus staturit,³⁾ quod officiales semel in anno fidelem abbati suo de receptis et expensis faciant rationem, volumus, ut tam pitanciaris quam alii officiales, dum requisiti fuerint per dominum abbatem, de officiis suis vere et integre sub debito consciencie computent, ita quod status eorundem valeat registrari.

Super hoc pulsacio nolle in refectorio ad refeccionem et biberes sic temperetur, quod nulli ex hoc scandalum generetur.

Preterea inhibemus auctoritate paterna, ne possessio distrahatur, ne annua pensio vendatur, ne persona ad victum vel ad habitum recipiatur, ne debita et maxime ad usuras contrahantur nisi de nostra licencia speciali.

Hanc autem kartam ante futuram nostram visitacionem sex vicibus in capitulo volumus recitari, ne cuiquam ignorancie excusacio suffragetur.

5.

1350(?). 6. Juli. (Engelszell.) — Abt H(ermann) von Wilhering urkundet über seine Visitation des Stiftes Engelszell.

Quinta.

Nos frater H(ermannus) dictus abbas in Wilhering anno domini MCCCL in octava apostolorum Petri et Pauli abbacie in Cella Angelorum filie nostre annue visitacionis officium impendentes personas eiusdem domus ad observanciam astringimus submissorum.

In primis. Quoniam fervor nostre religionis eo amplius virtutis et gracie recipit incrementum, quanto superiorum industria pervigilis subditorum actus correccionis lima⁴⁾ non desinit expurgare, prioribus huius domus duximus committendum, quatenus

¹⁾ matrones.

²⁾ silencium.

³⁾ Wohl statuit.

⁴⁾ Vor lima *limina* durchstrichen.

circa monasticam disciplinam et regulares observancias adeo sollicitudine operosa reddant se circumspectos, vigiles et intentos, sicut absque dubio ex hoc divine retribucionis premium consequi poterunt et nostre gravis correpcionis aculeum, si secus fecerint, desiderant evitare, iuniores¹⁾ ad leccionis frequenciam et informacionem cantus ac laudabilia ordinis statuta, prout poterunt, compellendo, adicientes, ut sollempnitas divini officii cantando et legendo et maxime nocturna laus cum tanta distincionis mora peragatur, ut ex hoc in cordibus psallencium et audiencium talis possit devocionis gracia excitari,²⁾ per quam et apud deum condigna retribucio, apud homines salubris edificacio suscitetur.

Item quia spiritus sancti [F. 11'] gracia non nisi in cordibus humilitati et paciencie deditis sibi locum eligit mansionis, statuimus, ut quicumque rixas et contenciones in conventu suscitaverint, prioribus vel aliis presidentibus in capitulo vel extra verbo, facto aut signo maliciose se opposuerint, suis proclamatoribus id, quod proclamaverint, obiecerint, retractata tempore visitacionis vel cottidianis [in] capitulis pertractanda³⁾ refrenaverint aut quomodocumque unionis pacem dissipaverint pro prima et secunda vice sint in edulio panis et aque, pro tercia vero vice penam peragant levis culpe.

Item statutum anni preteriti hic relictum volumus in suo robore perdurare, videlicet ut nullus monachorum, cuiuscumque fuerit officii sive status, exire audeat vel presumat ad villam adiacentem vel alias extra portam sine licencia domini abbatis speciali, nisi certa et evidens necessitas et utilitas expostulet et requirat, annectentes, ut nullus monachorum, cuiuscumque sint officii sive status, sibi de cetero decoqui procuret carnes in infirmitorio nisi prius licencia domini abbatis petita et obtenta.

Insuper volumus et mandamus, ut bursario census et omnes proventus de cetero presententur, qui de eisdem receptis tenebitur certam reddere racionem.

Item volumus, ut omnes officiales huius domus domino abbati de omnibus receptis et expensis post nativitatem domini reddant racionem, quod dominus papa instituit et precepit.

Inhibemus eciam auctoritate paterna, ne annua pensio aut possessio vendatur, ne persona ad victum vel habitum recipiatur, ne debita, maxime ad usuram, contrahantur absque nostra licencia speciali.

1) *iunioresque.*

2) Vorher *suscitari* durchstrichen.

3) *pertractandis.*

Hanc autem kartam ante futuram nostram¹⁾ visitacionem quater in capitulo volumus recitari, ne aliquis ignorancia²⁾ se defendere valeat aut tueri.

6.

(1337—1339.) ... (Säusenstein.) — *Abt H(ermann) von Wilhering visitiert unter Assistenz des Abtes Pilgrim von Engelszell das Kloster Säusenstein und hinterlässt die charta visitationis.*

Sexta.

Nos frater *H(ermannus)* dictus abbas in *W(ilhering)* anno domini MCCCCL³⁾ assidente nobis domino *Pilgrimo* venerabili coabbate nostro de *Cella Angelorum* filiam nostram abbaciam *Vallis Dei*⁴⁾ visitantes subscripta volumus ab omnibus observari.

In primis. Quoniam nove plantacionis rami tunc vivacius fructum proferunt salutarem, cum excultoris irrigacione sollercius excoluntur, propter hoc in nostrorum primordiis statutorum prioribus huius domus duximus iniungendum, quatenus in se et in ceteris sic monasticam observent et foveant disciplinam, sicut summo iudici de hoc in extremo iudicio voluerint respondere, committentes eisdem seriose, ut inutiles evagaciones quanto striccius poterunt coartare studeant, ut [F. 12] in personis domus bona redoleat fama, prout hucusque extitit observatum.

Quibus eciam iniungimus, quod singulis noctibus circa observacionem ianuarum claustrum intus et extra diligenciam adhibeant efficacem.

Item cum iuxta legis edictum donatarius ipsi donatori ad antidota seu compensam ex debito obligetur,⁵⁾ statuimus, ut de cetero in horis virginis Marie ad ultimam collectam ista clausula subiungatur: *Et famulum tuum fundatorem nostrum cum fidelibus suis ab omni adversitate custodi,* cum hoc sit consonum equitati, quod qui eius beneficia temporalia cottidie percipiunt ipsius salutem et prosperos successus per devotas oraciones debeant cum desiderio relevare.

Volumus eciam, quod singulis diebus de cetero hore canonicæ tonaliter decantentur, cum morositate tamen et gravitate

¹⁾ *futuram nostram futuram.*

²⁾ *ignorancie.*

³⁾ Unrichtig, da Pilgrim von Engelszell (Abt seit 1335) 1350 nicht mehr lebte. Erdinger a. a. O. S. 12 (des Sonderabdruckes) weist die Urkunde dem Jahre 1441 zu. Allein »noch sieht man in einem Gewölbe zu Engelszell an einer Wand ein Gemälde, das einen betenden Prälaten vorstellt mit der Inschrift: *Anno domini 1339 XIV. Kln. Iunii obiit dominus Pilgrinus abbas huius monasterii.* Es ist also 1339, nicht 1341 oder 1342 das Todesjahr des Abtes« (Schmid a. a. O. V. 2, 140, Anm. 1.)

⁴⁾ Säusenstein in Niederösterreich.

⁵⁾ Hierauf *entur* durchstrichen.

vocum, ut iuxta formam beati Bernardi patris nostri mediocritas observetur, hoc annexo, ut in precipuis festis, videlicet nativitatis Christi, pasche, penthecostis, nec non in quatuor sollemnitatibus beate virginis et quando magne festivitates occurrerint apostolorum ac martirum, si X numero in choro fuerint vel plures, vigilie sollemniter decantentur.

Item quia ubi karitas est, ibi deus scriptura testimonio attestante, mandamus precise volentes, quatenus sic mutua a singulis ac universis in ista domo¹⁾ concordia, pax et unanimitas de cetero foveatur, quod exinde layci circumsedentes edificari valeant et per consequens ad beneficia allici largiora.

Inhibemus auctoritate paterna, ne pensio vendatur, ne persona ad habitum seu victum recipiatur, ne debita, maxime ad usuras, contrahantur absque nostra licencia speciali et favore.

Hanc autem kartam quater in anno legi volumus, ne cuiquam ignorancia suffragetur.

7.

1350(?). 3. August. (Engelszell.) — Abt H(ermann) von Wilhering beurkundet den bei seiner Visitation des Stiftes Engelszell vorgefundenen Zustand der beweglichen Güter dieses Klosters.²⁾

Septima.

Nos frater H(ermannus) dictus abbas in Wilhering anno domini MCCCL(!) in invencione sancti Stephani prothomartiris abbaciam in *Cella Angelorum* filiam nostram regulariter visitantes talem invenimus et reliquimus statum eiusdem domus. Receperant a proxima preterita visitacione, que facta fuit anno MCCCL(!) proxima quarta feria post dominicam *Quasi modo geniti*, usque in presens de servicio, vino ad brocam et in circulis vendito ac de aliquibus bonis ab eis redemptis, mutuis et obvencionibus aliis quibuscumque CCCXXVII tal. minus XXX den.

Expense per idem tempus fuerunt CCCLXXX tal. minus LXX den.

Debita vero domus absoluta in universo, de quibus dabantur pensiones, fuerunt CCCCXLVI tal. VI solid.

Precaria [F. 12] autem, que aliquibus personis ad vitam ipsorum porrigebant, extendebant se ad XX tal.

Preterea vini et bladi sufficienciam usque ad nova habebant. Super hoc VI modios tritici similiter habuerunt.

Insuper L capita porcorum, XVI boves, L oves, III equos se habere nichilominus estimabant.

In cuius rei testimonium sigillum nostrum huic karte duximus imprimendum.

¹⁾ Nach domo *pax* durchstrichen.

²⁾ Vgl. Nr. 4.

8.

1349. 14. Juni. (Engelszell.) — Abt H(ermann) von Wilhering visitiert das Stift Engelszell und urkundet über dessen Vermögensstand.

Status domus.

Nos frater H(ermannus) dictus abbas in *Hilaria* anno domini MCCCXLIX dominica prima post festum sanete trinitatis abbaciam in *Cella Angelorum* filiam nostram regulariter visitantes talem invenimus et reliquimus statum eiusdem domus.

Receperant a proxima preterita visitacione, que facta fuit anno domini MCCCXLVIII in die invencionis sancti Stephani ¹⁾, usque in presens de servicio, de vino ad brocam ²⁾ et in circulis vendito ac de aliquibus bonis ab eis redemptis, mutuis et obventionibus aliis quibuscumque CCCLXVI tal. V solid. X den.

Expense per idem tempus receptis correspondebant.

Debita absoluta, de quibus non dabatur pensio, CXXX tal. cum dimidio fuerunt.

Item debita absoluta, de quibus serviebant, erant CCCXLVIII talenta.

Precarie vero pensiones ad XXIX tal. et LX den. extendisse se computabant.

Insuper vini et bladi habebant sufficienciam ultra nova.

In quorum omnium evidenciam huic karte sigilli nostri karakterem duximus imprimendum.

9.

1348(?). 11. November. (Hohenfurt.) — Abt H(ermann) von Wilhering visitiert das Kloster Hohenfurt und beurkundet dessen Vermögensstand.

Item.

Nos frater H(ermannus) dictus abbas de *Hylaria* anno domini MCCCXLI(!) in die sancti Martini episcopi abbaciam in *Alto Vado* filiam nostram visitantes ipsius ³⁾ domus statum cognovimus fore talem.

Receperant a transacta visitacione, que facta fuit anno MCCCXLVII(!) in octava ascensionis domini, usque in presens de censu, servicio, steura, quadam decima, rendiis, vino, mutuo et accidenciis quibuscumque CCCLIII tal. LXX den. Quorum distributa receptis per omnia correspondebant.

¹⁾ Vielleicht beziehen sich auf diese Visitation Nr. 4 und 7.

²⁾ *procam*. Urkunden-Buch des Landes ob der Enns VII, 110, Nr. 111 unrichtig *portam*. Vgl. Super instituta generalis capituli ad Cistercium, Ph. Guignard, Les monuments primitifs de la règle Cistercienne S. 264: . . . »vinum nostrum vendere ad tabernam sive, ut vulgo dicitur, ad *brocam* sive, ut lingua teutonica dicitur, ad *tappam*.«

³⁾ Nach ipsius *statuimus* durchstrichen.

Debita vero domus tam ad Iudeos quam ad Christianos fuerunt CXXXVII tal.

Tenebantur ¹⁾ in pensionibus annuis ad XXXII tal.

Precarie pensiones conventus extenderunt ²⁾ se ad X tal.

Ad quorum omnium solutionem nil pre manibus habebant.

Preterea habuerunt in granario gravis grani sufficientiam ad spacium anni sequentis et in cellario ³⁾ VII vasa vini.

Insuper hec fuerunt pecora numero: XIII boves, LX vacce CCCC oves.

In quorum omnium evidenciam sigillum nostrum a tergo duximus imprimendum.

10.

1349(?). Ende December(?). (Säusenstein.) — Abt H(ermann) von Wilhering visitiert unter Assistenz des Abtes H(einrich) von Engelszell das Kloster Säusenstein und nimmt einen Befund von dessen Vermögensstand auf.

Item.

Nos frater H(ermannus) dictus abbas in Wilhering anno domini MCCCXL ⁴⁾ assistente nobis venerabili coabbate nostro domino H(enrico) ⁵⁾ de Cella Angelorum abbaciam Vallis [F. 13'] Dei filiam nostram visitantes ac dominum Iohannem ⁶⁾ quondam subcelle-

¹⁾ Tenebantur. Vgl. Nr. 53.

²⁾ que extendit.

³⁾ cellerio.

⁴⁾ Unrichtig. Im Jahre 1340 wurde in Säusenstein kein Abt gewählt. Erdinger a. a. O. S. 13 denkt an 1350: »Heinrich 1349—1355. Es ist mehr als wahrscheinlich, dass Heinrich zweimal Abt von Säusenstein war und in dieser Würde nicht gestorben ist; denn im Wilheringer Necrologium (von 1462) ist zu lesen: VII. Kal. Sept. Dominus Henricus senior huius domus, quondam bina vice abbas in Valle Dei. Da nun unter den Äbten von Säusenstein nur einmal der Name Heinrich vorkommt, so muss wohl der von 1349—1355 gemeint sein. Ferner hat die Visitationsurkunde des Abtes Hermann von Wilhering, welche auf das Jahr 1350 (sollte heissen: 1340) lauten, folgenden Passus: assistente . . . Demgemäss stellt sich die moralische Gewissheit heraus, dass Heinrich und Johann, weiss Gott aus welchen Ursachen, die Abteistelle wechselten, bis Heinrich 1355 definitiv resignierte und Johann definitiv zur Regierung gelangte.« Allein ist es richtig, dass Heinrich 1349 zur Regierung gelangte, dann muss bei Erdingers Auffassung angenommen werden, dass jener nicht zwei-, sondern dreimal Abt war. 1351, 19. V., erscheint er nämlich als Abt (vgl. Nr. 54), 1352, 25. IV., aber als senior (vgl. Nr. 57). Jeder Widerspruch zwischen den hier in Betracht kommenden Angaben verehndet bei der allerdings nicht besonders wahrscheinlichen Annahme, Johann sei zwischen 25. und 31. December 1349(=MCCCL, wenn man, wie es damals in Niederösterreich der Fall war, das Jahr mit 25. XII. beginnt) Abt geworden, habe jedoch diese Würde noch vor 1. Jänner 1350, gezwungen oder freiwillig, an Heinrich abgetreten.

⁵⁾ 1339(?)—1364 (vgl. Schmid a. a. O. V. 2, 1440 f.).

⁶⁾ Wohl Johann II. 1355—1361.

rarium ibidem novum abbatem canonice substituentes talem invenimus et reliquimus statum eiusdem domus.

Receperant a visitacione proxima, que facta fuit anno domini MCCCXLIX(!) in die beati Galli abbatis, usque ad idem tempus de universis obvencionibus et maxime a fundatore domino *Eberhardo de Walsse* ¹⁾ CXL tal. minus dimid.

Expense vero per idem tempus pro necessariis domus, videlicet coquina, ²⁾ vestitu dominorum, precio famulorum, pro curiis ac universis utensilibus domus C libr. minus II cum XXXIII den.

Item pro relevacione debitorum et pro structura XXVII tal. LX den. Reliquam vero pecuniam, que superest expensis, pre manibus habebant.

Preterea habebant in domo et extra XXV ternarios vini, X modios tritici, V modios siliginis, II modios ordeï, V modios avene.

Item pecorum maiorum V equos trahentes, unum poledrum, XII capita pecudum, XVIII oves.

In quorum omnium evidenciam sigillum nostrum et prefati venerabilis coabbatis nostri de *Cella Angelorum* presentibus du-ximus apponenda.

11.

1343(?). 21. October. (*Säusenstein.*) — *Abt H(ermann) von Wilhering* nimmt bei seiner *Visitation des Stiftes Säusenstein einen Befund der beweglichen Güter dieses Klosters auf.*

Item.

Anno domini MCCCXLIII in die sanctarum XI ³⁾ milium virginum nos frater *H(ermannus)* dictus abbas de *Hilaria* in abbacia *Vallis Dei* filie nostre annuam servantes visitacionem talem invenimus et reliquimus statum domus.

Receperat dominus abbas a visitacione preterita, que facta fuit anno domini MCCCXLII III. Kal. Nov., usque ad carnisbrivium LXVIII tal. cum dimidio.

Expenderat per idem tempus pro coquina, pro vestitu dominorum ac aliis diversis LXXI tal. cum dimidio et XXIII den.

Postea ab eodem tempore recepit frater *Stephanus* usque ad festum sanctarum XI ⁴⁾ milium virginum de servicio, libertate salium ac obvencionibus quibuscumque CXLV tal. III solid.

¹⁾ Eberhard III. von Walsee-Linz.

²⁾ *caquine.*

³⁾ *IX.*

⁴⁾ *IX.* Aus der ganzen Stelle geht hervor, dass zur Zeit der Visitation in Säusenstein kein Abt regierte, sondern der Prior(?) Stephanus die Leitung inne hatte. Trat etwa Johann I. nicht, wie Erdinger a. a. O. S. 11 angibt, 1342, sondern erst 1343 die Regierung an? Oder ist das Datum der Urkunde unrichtig?

Distributa per idem tempus pro coquina, vestitu dominorum, precio famulorum ac aliis diversis fuerunt CLV tal. XIII den.

Habebant pre manibus XXII vasa vini ac XVI modios gravis grani, videlicet XII modios . . . et III siliginis; de avena V modios habuerunt.

In quorum omnium testimonium evidens sigillum nostrum tergo presentibus est impressum.

12.

1316. 25. Juni. (*Heiligenkreuz.*) — *Abt Friedrich von Ebrach be-
urkundet bei der Visitation des Klosters Heiligenkreuz den Ver-
mögensstand dieses Stiftes.*

Nos frater *Fridericus*¹⁾ dictus abbas in *Ebera* anno domini MCCCXVI in crastino beati Iohannis Baptiste abbaciam in *Sancta Cruce* filiam reverendi in Christo patris nostri [F. 13'] domini *Guilhelmi*²⁾ venerabilis abbatis *Morimundi*³⁾ vice et auctoritate ipsius visitantes subscriptum invenimus et reliquimus statum domus.

Receperant a visitacione preterita, que facta fuerat anno MCCCXV in die beati Urbani pape et martiris, usque ad festum penthecostis nongenta et XXIII tal. den. Wiennensium et LXXIX marcas⁴⁾ argenti.

Expenderant per idem tempus nongenta [tal.] et L den. Argentum vero argento in accepto correspondet.

Debita domus XLVIII marce.

Habebant pre [manibus] vini et panis sufficienciam usque ad nova.

Animalium autem numerus haberi non poterat propter pestilenciam huius anni.

In quorum omnium evidenciam nostrum sigillum duximus a tergo presentibus imprimendum.

13.

1332. 5. März. (*Engelszell.*) — *Abt Ch(unrad) von Wilhering visi-
tiert das Stift Engelszell und urkundet über dessen Vermögensstand.*

Status domus in visitacione.

Anno domini MCCCXXXII nos frater *Ch(unradus)*⁵⁾ dictus abbas in *Wilhering* abbaciam de *Cella Angelorum* filiam nostram visitantes ipsius domus statum cognovimus fore talem.

¹⁾ 1306—1328 (vgl. Sellner, Brevis notitia monasterii B. M. V. Ebra-
censis, S. 114.)

²⁾ 1305—1320 (vgl. Dubois, Geschichte der Abtei Morimond, S. 372).

³⁾ Morimond in Frankreich, Diöcese Langres.

⁴⁾ marce.

⁵⁾ 1330—1333.

Receperant a transacta visitacione, que facta fuit VIII Id. Iun., de censu, vino, mutuo et accidenciis quibuscumque usque in presens C tal. et LXXVII tal. dimid. libr. X den.

Quorum distributa receptis per omnia correspondebant.

Debita domus absque obligacionibus et precariis fuerunt CCCLXIII tal.

Possessiones distracte, que redimi poterant pro tunc et debebant, extendebant se ad summam CCC et XIII libr.

Habebant tunc pre manibus LX tal. pro cultura vinearum et bladi usque ad nova sufficienciam competentem.

Pro potu autem nec vinum nec cerevisiam habuerunt.

In quorum evidenciam nostrum sigillum impressimus huic karte. Scriptum in die cinerum.

14.

1321. 18. Mai. (*Wilhering.*) — *Abt Friedrich von Ebrach visitiert das Stift Wilhering und urkundet über dessen Vermögensstand.*

Item.

Nos frater *Fridericus* dictus abbas in *Ebera* anno MCCCXXI XV. Kal. Iun. abbaciam in *Wilhering* filiam nostram visitantes submissum invenimus et reliquimus statum domus.

Receperat¹⁾ bursarius a visitacione preterita facta anno MCCCXX in die beati Petri martiris usque in presens CXLVII dimid. tal. Wiennensis et Patauensis monete.

Expenderat per idem tempus CXLVII tal. et XXXVII den.

Debita domus LV dimid. tal. Wienensia.

Pre manibus habebant vini et panis sufficienciam usque ad nova.

In quorum evidenciam omnium nostrum sigillum a tergo presentibus duximus imprimendum.

15.

(1333— c. 1339.) 10. Juli. (1. August?) (*Wilhering.*) — *Abt H(ermann) von Wilhering urkundet, dass er dem Capitel die Nothwendigkeit der Zahlung von 100 Talenten an Ch(unrad) von Polheim, welcher dem Kloster 93 Talente geliehen, vorgetragen und dieses beschlossen habe, bei den Juden ein Anlehen von 130 Pfd. zu machen.*

Noverint universi, ad quorum noticiam deducitur presens scriptum, quod nos frater *H(ermannus)* dictus abbas in *Wilhering* anno MCCCIX²⁾ in die VII fratrum facta cena vocavimus ad nostrum infirmitorium maiorem et saniozem partem conventus, qui [F. 14] pro tunc domi fuit, proponendo ei necessitatem nobis

¹⁾ Ursprünglich *Receperant*; die Correctur von der gleichen Hand.

²⁾ Unrichtig; in diesem Jahre gab es in *Wilhering* keinen Abt *Hermann*.

imminentem de solucione C libr. domino *Ch(unrado)* de *Polnh(aim)*,¹⁾ qui eodem anno in purificatione beate virginis nobis LXXXVIII libr. mutuarat, et hoc eciam factum fuit de consilio omnium sacerdotum tunc in domo existencium. Que pecunia sic fuit impensa. Primo IIII libr. redempte a *Pernhardo* in *Wienna* pro XXVIII tal. Item pro cultura vinearum XXIII tal. Item domine *Metsiderinn* pro vino non plene soluto XI tal. Item domino *Michaeli* de *Newnburga*²⁾ X tal. Residui den., videlicet XXI libr., adiunctis LX tal. domini *Erisingensis* episcopi³⁾ in exemptione⁴⁾ trium litterarum dati⁵⁾ fuerunt. Veniente igitur termino solucionis predicto domino de *Polnh(aim)* placuit singulis et universis, quorum nomina hic subscribuntur, ut apud Iudeos contraheretur mutuuum CXXX libr. tam pro expeditione debiti *Pollhaimarii* quam ceterorum, quorum solucio inevitabiliter nos urgebat, secundum quod de hiis domino visitatori ratio plene fiet, quod mutuuum contraximus nos in persona propria *Austriam* descendentes. Huic tractatui interfuerunt frater *Stephanus* prior, *Vlricus* de *Lauffen*, *Vlricus Alhartinger* et quam plures. Acta sunt hec autem die et anno, sicut superius continetur.

(Schluss im nächsten Jahrgange.)

Das Kloster Disentis vom Ausgang des Mittelalters bis zum Tode des Abtes Christian von Castelberg, 1584.

Von Johann Cahannes, stud. theol. aus Brigels (Graubünden).

(Fortsetzung zu Heft III. 1898, S. 375—388.)

IV. Capitel.

Abt Martin II. Winkler, 1528—1536.

Am 2. August 1528 wählte der Disentiser Convent den bisherigen Prior Martin Winkler aus dem Schanfigg zum Nachfolger des Prälaten Andreas in der äbtlichen Würde. Der Name Winklers begegnet uns zuerst auf dem Wahlinstrument von 1512,

¹⁾ Erscheint urkundlich 1279—1339.

²⁾ Stifter des Altars zum hl. Andreas in Wilhering (vgl. Sitzungsber. d. phil.-hist. Cl. d. k. Akad. d. W. z. Wien CIX, 582).

³⁾ Konrad IV. von Klingenberg. Wahrscheinlich hat er die gennante Summe, wie er denn überhaupt ein Freund der Cistercienserklöster war (vgl. Font. rer. Austr. II. 34, 279, Anm. 1, 280), dem Stifte Wilhering geschenkt. Sein Name begegnet im Wilheringer Necrologium von 1462 z. 9. IV.

⁴⁾ *exemptione*.

⁵⁾ *data*.